

legerint, haec scire facillime possint. Atque ideo mentionem Congi videtur interposuisse, qui per illud tempus decesserat, homo curiosus et diligens eruendae vetustatis; nam historicus . . .

5 (Desunt IV paginae.)

. . . partim malitiosis fraudibus deprehensum ideo § 63. tantum negavit ab se statim puniri, quod iratus esset; quippe vir sapientia praeditus altiore non putavit . . . iudicii futurum quidquid fecisset iratus.

10 Non vereor, ne mihi aliquid, iudices, videar § 64. adrogare, si de quaestura mea dixero.

Ut se Laterensis ostenderet aedilitate fuisse Plancio digniorem, commemoraverat se aput Praeneste ludos edidisse, Cyrenis etiam summa liberalitate in publicanos
15 egisse, in socios denique fuisse iustissimum. Quae omnia iactantius ab illo dicta quam eleganter elevet et abiciat M. Tullius, consideremus. Persuadere vult namque omnia illa, quae foris gesserit, aput conscientiam populi R. latere potuisse. Ac ne acerbius animum laederet audientis . . .
20 de quaestura sua egit non sine figura . . ., quod cum Lilybaeo decedens Puteolos adventasset, omnes eum ignoraverint primo ex provincia, tunc deinde ex Sicilia, ad extremum ex Lilybitana venire; quibus ipse varia sciscitantibus novissime cum permistione quadam stomachi responderit
25 se ad aquas potius in Campaniam venisse, ut interrogationes eorum ab se respueret, quos moleste ferebat ignaros esse quaesturae, quam se meminerat magna cum laude gessisse. Proficit ad illam responsionem multa Romae ignorari, quae foris gesta sunt a senatoribus, ac propterea Laterensem